

*Habakuk propheta, de quo dicitur Habakuci Cap. II. v. 1. super custodiam meam stabo, & consistam super munitionem &c. Dixit coram Deo: Domine mundi, filii tui posuerunt facies suas super me, quia ego sum, uti filius tuus domesticus. Juravi in nomine tuo magno, quod ego me non moturus sum ex hoc loco, donec miserearis super filios tuos. Quo facto inceperunt pluviae destillare. Ex hoc loco somnium illud repetiit Rasche in Commentario ad Cap. II. 1. Habakuki, cujus etiam mentionem facit ad Esaiaë XXI. 6. vid. quoque Buxtorffii Synagoga Judaica Cap. XXX. p. m. 579. aliiq; plures.*

§. 17.

Manifestum est, Judaeos in ea opinione fuisse, Habakukum circulum magicum duxisse, & in eo Deum rogasse, ut ad suam quaestionem responderet. Legērunt in vaticiniis ejus cap. II. v. 1. hæc verba: *Super custodiam meam stabo, & consistam super munitionem meam, & speculabor ut videam, quid responsurus sit Dominus ad quaestionem meam.* Putarunt, super custodiam stare, esse super circulum in terra ductum stare, qua explicatione nihil ineptius. Nosse potuissent, prophetas sese ad revelationes divinas praeparantes, easq; expectantes stylo scripturae dici militum instar excubare, in fortalio & specula vigilare, & prospicere, quid e longinquo appareat. Manifestum hoc est ex Es. XXI. v. 6. seqq. ubi Deus Jesaiae praecepit, ut aliquem prophetam constitueret speculatorem, qui prospiciat, & annunciet, quae e longinquo appareant. Addit Jesaias, prophetam constitutum speculatorem vidisse aliquos currus, eosq; attente observasse; porro eundem speculatorem clamasse, *super specula Domini ego sto jugiter per diem, & super custodia mea ego*

C

con-